


B

254

~~100~~
100

U. q. 17, 2



CENTURIA
Assertionum Feudalium
 DE
ACQUISITIONE
FEUDI.

*Ad c. 1. Qui Feud. dar. poss. & qual. acquir. c. 1. de Feud. cognit. c. 1. Quid sit investitur. c. 1. in
 pr. de consuet. rect. Feud. c. 1. de success. Feud. c. 1. an prescript. Feud. acquir. cum capp.
 similib. In usibus Feudor. Nec non ad cap. 2. X. de Feud.*

Quam

S. S. Trinunius auspiciò

Decreto & Auctoritate Nobilissimi & Amplissimi Collegii Juridici

in

Illustri & Electorali Viadrina

PRÆSIDE

Clarissimo Consultissimo & Excellentissimo

VIRO

DN. JOHANNES NEANDRO,

JC. & Antecessore pub. celeberrimo Facultatis

p. t. Decano spectatissimo.

Pro insignibus & privilegiis Doctoratus in Utroq. Jure obtinendis,

Publicè

In Auditorio Jctorum ventilandam proponit

ANDREAS CONRADUS,

Cycneâ - Misnicus.

ad diem 4 Julii horis ante - & pomerid.

ANNO

∞ 100 XXII.

LITERIS

HARTMANNIANIS.

168



DEO.
PATRIÆ.
PATRONIS ac EVERGETIS:
Amplissimis, Consultissimis, & Excellentissimis,
Viris:

Dn. DAVIDI PITZSCHIO, V. J. D.

Consuli ac Syndico Patriæ meritissimo:

Dn. THEODORICO STEINMETZIO:

Dn. DAVIDI BOICK:

Dn. NICOLAO GÖTZIO:

Itidem J. U. Doctoribus & Practicis
ibidem eximiis:

*Dn. Avunculo, & Affinibus meis omni animi
cultu observandis:*

Debitæ gratitudinis causâ, nec non pro ulteriori gratia,
ac promotione demerenda

Experimentum hoc Doctore

Piè, obsequiosè & observanter confecro.

Resp. Auth.

In Nomine Domini DEI nostri
JESU CHRISTI, cum Imperatore no-
stro incipimus.

ASSERTIO I.



- Non sex acquirendi Feudi modi sunt: ut pu-
tant alii, sed duo: *Investitura & Successio*:
Quibus annumeranda *Prescriptio*.
- II. Discriminationem inter *Constituere*
& *acquirere* Feudum non recipiendā puto.
- III. Unde inanis illa videtur quæstio: *An*
constitutio precedat acquisitionem?
- IV. Sententia Judicis Feudum non con-
stituit, sed jam constitutum declarat.
- V. Distributionem catholicam Investi-
turæ in *Veram & Abusivam* nos quoque recipimus, cum vera inter eas
contrarietas reperiatur.
- VI. Per abusivam seu impropriam dominium utile non transfertur in
Vasallum.
- VII. Duobus investitis, si non constet, uter possessionem nactus sit, is
præferendus qui investituram priorem probat. Si duo autem de eodem
Feudo investiti fuerint, is præfertur qui in possessionem missus, & cui res
tradita est.
- VIII. Quid si Dominus in traditione posterius investito facta, addat
protestationem hujusmodi: *Salvò jure prioris: vel absq; præjudicio prioris?*
Nihil agit.
- IX. Feudum novum jure Feudi antiqui nach art und Eigenschaft eines
alten Väterlichen Stamlehens/concessum, habet naturam Feudi antiqui.
Non autem e contrario Feudum vetus jure Feudi novi, sine consensu a-
gnatorum, concedi potest.
- X. Scriptura de solennitate aut necessitate Investituræ non est.
- XI. Non cum illis facimus qui investituram conventionem & contra-
ctum statuunt.

- XII. Ex promissione Feudi, nullâ etiam investitura accedente, actio contra Dominum, ut vel investiat vel interesse præstet, nascitur. Propterea enim autoritate possessionem Vasallus apprehendere nequit.
- XIII. Nihil autem interest sive ipse Dominus & Vasallus, sive alii eorum nomine, Investituram faciant & accipiant.
- XIV. Nec refert sive purè sive conditionaliter illa fiat? An item de Feudo aperto, an vero de aperiendo? Etsi Vasallus possessor hoc posteriori casu non consentiat.
- XV. Et valida illa est quamvis Vasallus hic liberos habeat, vel post factam hoc modo investituram procreet: Si tamen Investitus moriatur ante Vasallum, tum Feudum investiti heredibus cedit.
- XVI. Ad testificationem Investituræ Feudi novi sufficit breve testatum & Pares curiæ, id quod alternativè intelligendum puto.
- XVII. Quin hiscè deficientibus etiam Extranei recipi possunt.
- XVIII. Per errorem vero si adhibiti sint, investitura vitiatur. Quod & in clericorum investituris verius videtur.
- XIX. Antiqui Feudi Investitura, ubi renovanda, intra annum & diem necessario renovanda est.
- XX. Nec expectabit Vasallus donec à Domino requiratur, uti fieri plerumque solet in Feudo novo.
- XXI. Fidelitas præcedit veram & sequitur Abusivam Investituram.
- XXII. Contra Patrem, fratrem, & filium rectè Vasallus defendit Dominum.
- XXIII. Ad Præsumptam Investituram requirimus tricennium tantum respectu Domini, quam Vasalli præscribentis.
- XXIV. Etsi res sit Ecclesiæ aut Reipublicæ. Ad Regalium autem præscriptionem requiritur tempus immemorabile.
- XXV. In prædicta tamen tricennali præscriptione bonam fidem non excludimus.
- XXVI. Juramentum Fidelitatis pars Investituræ non est. Quidni igitur remitti possit?
- XXVII. Quanquam alias Fidelitas etiam de Feudo modico & Franco præstanda sit.

XXVIII. Juramentum hoc per substitutum quoque præstari potest, modo ad hoc speciale mandatum habeat.

XXIX. Nisi procurator sit cum libera, vel tutor, aut curator.

XXX. Prædefuncti Vasalli successores omnes & singuli Investituram petere, & fidelitatem jurare debent: sive Feudum pro partibus indivisis sive divisis possideant.

XXXI. Nisi unum ex sese elegerint datò ei ad hoc speciali mandatò: aut Feudum ex divisione ad unum pervenerit.

XXXII. Et hoc procedit quamvis Pater jurasset, pro se & suis heredibus: Aut Senior pro se & suis heredibus juramentum recepisset.

XXXIII. Plures autem simul juramentum, est, cur non recipiant.

XXXIV. Vasallo tamen Senior jurare non debet.

XXXV. Regulariter per ultimam voluntatem quicquam disponere Vasallo super feudo non licet; adeo ut si testamentum Principis autoritate, aut Domini assensu corroboratum sit, aliis tamen non præjudicet.

XXXVI. Etiam si Feudum Francum sit.

XXXVII. Nec, si Vasallus leget, heres ad æstimationem legati tenetur: Quamvis legatum sit Ecclesiæ.

XXXVIII. Sufficit tamen & Domini & agnatorum in actu testandi præsentia, ad id ut sibi præjudicent.

XXXIX. Attamen in novo Feudo in præjudicium filiorum, quin parens disponere possit, non dubito.

XLI. Sic Feudum, quod datum est *Vasallo & quibuscunq; heredibus*, prohibitu, cui velit, Vasallus relinquit.

XLI. Sed utrum Dominus de Feudo in ultima suâ voluntate disponere possit, dubietas magna est? Nos in negantium castra transimus.

XLII. Nec dispositio in Feudis Paternis ut filii inæqualiter succedant valida est. Feudum igitur (quod huic consecrarium) uni filiorum prælegari nequit.

XLIII. Nec distinguendum an ex uno matrimonio an verò ex diversis prognati, id est germani an consanguinei fuerint? Num item emancipatis aut in sacris paternis constituti?

XLIV. Nihil etiam refert, sive testamento præteriti, sive etiam justè exheredati sint.

- XLV.** Filia à successione feudi (quamvis bellicosa sit) penitus arcerur.
- XLVI.** Idem obtinet in Hermaphrodito qui in fœmineum sexum incalescit.
- XLVII.** Licet Feudum tenore hõc: *Pro se & descendantibus.* Aut hoc: *Pro heredibus quibuscunq;* Vel etiam hoc: *Ut fœmina & masculi: vel Fœmine cum masculis succedant,* datum sit.
- XLVIII.** Fœmellæ insuper non succedunt in Feudo Ligio.
- XLIX.** Sicut nec in Feudo Franco.
- L.** Neque in Emptitio.
- LI.** Aut aliis Impropriis.
- LII.** Semel tamen exclusa filia semper exclusa non censetur.
- LIII.** Ac rectissimè succedit si loci consuetudine id receptum, aut Feudi natura permittat.
- LIV.** Deinde si feudum fuerit absolutè hereditarium.
- LV.** Nec non si fœmineum.
- LVI.** Item cum expressâ conventionem ad Feudi successione vocatur.
- LVII.** Denique si patre mortuò sine filiis, Feudum redimat; aut post mortem Vasalli Dominus ex peculiari gratia eam investiat. Quamvis jure potius contractus quam successione priori casu Feudum obtineat.
- LVIII.** Sed hîc ambigitur si duarum sororum Feudum unum habentium, altera moriatur, relicto nepote, an hic Materteræ illud auferre possit? Negatur.
- LIX.** Si una Filia nominatim & expressè fuerit vocata, illa sola succedit.
- LX.** Quid si nulla certæ personæ mentione facta fœminæ vocentur, eæque plures sint? Electio Domino conceditur.
- LXI.** Feudum concessum filiabus etiam ad Nepotes earum spectat.
- LXII.** Naturalibus autem tantum liberis, & adulterinis &c: ad Feuda aspirare non licet.
- LXIII.** Nec adoptivis, & ad Morganaticam susceptis.
- LXIV.** Legitimus per subsequens matrimonium, etiam in articulo mortis contractum, succedit.
- LXV.** Et hoc in Judiciis plerisque ita obtinet, etsi verba investituræ sic habeant: *Dir vnd deinen Ehelichen Lehens Erben:* Tametsi contrarium, veritati theoricæ magis consonum esse, non desint, qui statuunt.
- LXVI.** Non vero succedit, ut alios excludat, legitimus per rescriptum Principis, etsi nominatim sit ad Feuda legitimus.

Quamvis

LXVII. Quamvis etiam liberi alii & agnati deficiant : Non tamen sine consensu Domini succedit.

LXVIII. Filius abstinens hereditate non succedit in Feudum.

LXIX. Ascendentium porro de jure Feudali nulla est successio, exceptis certis casibus, quos in ipsa disquisitione deducam.

LXX. Frater fratri succedit solum in Feudo antiquo, sive germanus sive consanguineus sit.

LXXI. Non autem Uterinus; nisi Feudum sit foemineum. (dunt.

LXXII. Nepotes cum Patruis jure repræsentationis in stirpes succedunt.

LXXIII. Etiam in Feudo ex pacto & providentia.

LXXIV. Fratrum autem Filii; si soli extant: in capita,

LXXV. Patruus & Patruus magnus quoque ad successionem admittuntur, si scilicet à primo acquirente originem traxerint, & Feudum fuerit antiquum.

LXXVI. Hos tamen excludunt fratrum filii, licet pari cum illis gradu defuncto conjuncti sint.

LXXVII. Porro descendentium Acquisitoris Feudi successio est infinitum.

LXXVIII. Supputatio autem graduum à jure civili introducta etiam jure Feudali observatur.

LXXIX. Pecuniam ex Feudi divisi venditione perceptam, Feudalem esse puto.

LXXX. Et si autem Foeminae, uti dictum, in Feudo non succedunt, ex eo tamen exhibendae adeoque dotandae sunt, si aliunde dotari nequeunt.

LXXXI. Non tamen legitima ipsis ex Feudo competit.

LXXXII. Clerici quoque in Feudis succedere nequeunt.

LXXXIII. Quod etiam in Feudo foemineo obtinet,

LXXXIV. Item in Feudo Emptio.

LXXXV. Quamvis per alium servire parati sint.

LXXXVI. Etiam si Cardinales fuerint.

LXXXVII. Et habitum religionis deposuerint.

LXXXVIII. Quanquam in Feudo Franco, cujus natura non repugnat, succedat clericus.

LXXXIX. Sic etiam Monachus succedere nequit.

XC. Equites autem; E. G. Hierosolomytanos & Teutonicos nec non similia Ordinum, in Feudo omnino succedere putamus.

XC I. Cæterum ii etiam nō succedunt in Feudo, qui animo sani non sunt, qualis furiosus & mente captus.

XC II. Prodigus autem quin succedat dubium non est.

XC III. Corpore item non sani, V. G. mutus surdus, claudus, vel aliter imperfectus, successores in Feudo esse nequeunt, nimirum si tales nati sunt.

XC IV. Quos tamen in Feudo Franco admittere, rationis esse putamus.

XC V. Præterea nec Viri & Uxoris aliqua in Feudo successio est.

XC VI. Neque etiam Fisci.

XC VII. Sed deficientibus Feudi acquisite descenditibus illud ad Dominum revertitur.

XC VIII. Pone Feudum antiquum: Quo Vasallus possessor delinquendo privatur: Qui tamen agnatos habet; ad hosne an ad Dominum id devolvitur? Distinguendum varie.

XC IX. Quæstionis item est: an possessio Feudi ipsō jure in successores continetur? Quod negamus.

C. Finge Feudum Ecclesiæ, Vasallo vita functo, ad Ecclesiam redit: de quo alium Episcopus, qui juraverat inconsultō Romano Pontifice

Feudum novum in Ecclesia se non introducturum, investit: Quæritur: an investitura teneat: nec perjurus sit Episcopus? Illam

tenere: nec perjurum hunc esse
concludimus.

*Soli Trinuni DEO OPT. MAX. sit honor
laus & gloria.*



155254

ULB Halle


3


006 685 17X



R VD 17







CENTURIA
Assertionum Feudalium
DE
ACQUISITIONE
FEUDI.

*Ad c. 1. Qui Feud. dar. poss. & qual. acquir. c. 1. de Feud. cognit. c. 1. Quid sit investitur. c. 1. in
pr. de consuet. rect. Feud. c. 1. de success. Feud. c. 1. an praescript. Feud. acquir. cum capp.
similib. In usibus Feudor. Nec non ad cap. 2. X. de Feud.*

Quam
S. S. Trinunius auspiciò
Decreto & Auctoritate Nobilissimi & Amplissimi Collegii Juridici

IN
Illustri & Electorali Viadrina
PRÆSIDE
Clarissimo Consulissimo & Excellentissimo
VIRO

DN. JOHANNES NEANDRO,

JC. & Antecessore pub. celeberrimo Facultatis
p. t. Decano spectatissimo.

Pro insignibus & privilegiis Doctoratus in Utroq; Jure obtinendis,
Publicè

In Auditorio Jctorum ventilandam proponit
ANDREAS CONRADUS,

Cynea - Misnicus.
ad diem 4. Julii horis ante - & pomerid.

ANNO
∞ 100 XXII.

LITERIS
HARTMANNIANIS.